

FUNICULI NODI INDISSOLUBILIS

De conceptu mentis, & conceptu ventris.

H O C E S T :

Inter immunitatem ab omni defectu, & errore Angelicæ doctrinæ Sancti Thomæ Aquinatis, & ejus exclusionem ab illis universalibus regulis: *Omnis homo mendax: Omnes erraverunt ab utero, & locuti sunt falsa: Omnes declinaverunt, &c.* Et præsertim ab omni culpa, & macula purissimæ animæ Virginis Dei Matris MARIÆ, & ipsius exceptionem ab istis: *Omnes in Adam peccaverunt: Omnes nos quasi oves erravimus: Omnes enim peccaverunt, &c.* Ac de utriusque approbationibus Apostolicis, Ecclesiasticis, atque revelatis

Ab ALEXANDRO MAGNO VII. Pontifice
Nostro Maximo solvendi, aut sciendendi.

Ex Cortice, Virga, Nodo, Doctrina, atque Puritate ligati à Reverendo Admodum P.Fr. PETRO DE ALVA ET ASTORGA, Lectore Jubilato, Supremæ Inquisitionis Qualificatore, totius Religionis Minorum Patre, & ex-Procuratore Generali in Romana Curia, Provinciæ Limentis filio, &c.

Ediitio secunda multò auctior, & triplici Indice ornata.

B R U X E L L I S,

Typis PHILIPPI VLEUGAERT, Typographi jurati, retro Fontem
cæruleum. Anno M. DC. LXIII.

Cum Gratiâ & Privilegio.



SANCTISSIMO D.D.N.
MAGNO, AC MAXIMO
ALEXANDRO VII.
Summo Ecclesiæ Pontifici.



SANCTISSIME PATER,

Sicut nullo impellente motore, suâ innatâ
virtute directa ascendunt levia sursùm, des-
cenduntque gravia deorsùm, ut præfixum sibi à supremo



NODUS UNDECIMUS

PRINCIPALIS

Inter approbationem doctrinæ Sancti Thomæ factam à Clemente VIII. Pontifice Maximo in quibusdam rescriptis directis ad Civitatem Neapolitanam ; & aliquas ejusdem Pontificis Bullas expeditas pro Conceptione , & immunitate Sacratissimæ Virginis M A-

R I Æ.

PRO CORTICE

§. PRIMUS.

Dicunt Summum istum Ecclesiæ Pontificem electum anno 1592. tertio Kalendas Februarij, approbasse doctrinam Sancti Thomæ in quibusdam Brevis sub annulo Piscatoris expeditis, & directis ad Proregem Regni Neapolitani, Deputatos, & ad ipsam civitatem, sub die vigesima secunda Novembris anno 1603. Pontificatus sui

anno 12. In uno quod incipit: *In quo nos, &c.* sic inquit: *Erat quidem antea multò optandum, ut in vixas ista pietati imprimis dedica novam Patronum ad reliquos, quos habet, addendum curaret Thomam Aquinatem, cujus Divino eloquio, & celesti doctrinâ, miraculisq;, illa quidem illustri merito apud remotissimas nationes summâ Christi nominis cum laude, atque Ecclesiæ utilitate celebratur.* In alio verò sic inquit: *Piè, prudenterq;, cogitatis de*

exemplar unicum, & singulare in Ecclesia, non solum sapientiae, sed etiam vitae regula, & Canon à Sacrosancta Oecumenica Synodo in Spiritu Sancto legitime congregata statutus, cui omnes fideles nullo dempto debent sub anathematis poena, & aeternae maledictionis condemnatione obedire. Et dicant, si desiderant aliquid amplius, nam totum concedam. Tom. 1. l. 2. c. 2. fol. 489. ubi ex professo agit de hoc elogio num. 9. inquit: *Quòd verò ad alia ejusdem Pontificis verba, quae sequuntur, nempe: Sine nullo prorsus errore, attinet, quid jam vos, qui errorem aliquando Sanctum Doctorem asseruisse olim dicbatis? Quid vos, qui horum vestigijs adhaeretis ad verba haec Pontificis respondebitis? Erravitne aliquando Divua Thomas? Ego quidem numquam errasse semper credidi,*

nunc autem & credo, & confiteor, atque assero. Sine nullo enim prorsus errore, sicut ait Pontifex, scripsit. Interrogationes istae diriguntur ad Universitatem Parisiensem. Sed certè quin adhuc hodiè respondeat aliter, non dubito. Libro 2. cap. 5. fol. 323. col. 1. inquit: Mirum! in tot Divi Thomae libris errorem non reperiri, &c. Et fol. 527. num. 22. Ingens prodigium, numquam in tot libris Divum Thomam fuisse lapsum, &c. Ingens equidem, & mirum prodigium est S. Thomam ne quidem fuisse lapsum in ipso scholae pavimento, ubi ipsa Dei Mater, & Sacratissima Virgo MARIA cecidit. Sed admittamus ista, & omnia superius dicta: quia hoc modo majorem vim noster habebit Nodus.

PRO VIRGA

§. SECUNDUS.

Quæfecit Summus Pontifex Clemens VIII. pro mysterio Immaculatae Conceptionis, ad duo capita reducemus. Primum sit: quòd cum Robertus Bellarminus Societatis Jesu, postea S. R. E. Cardinalis, jussu ejusdem Clementis VIII. disposuerit catechismum Fidei Christianae, seu explanationem doctrinae Catholicae, ut videre est tomo 7. suorum operum à columna 1334. capite 5. in ex-

planatione Angelicae salutationis, interrogat discipulus: *Quid significat gratia plena? cui respondet Magister: Gratia Dei tres potissimum effectus in anima operatur. Primus est, quòd peccata deleat, quae uti macula animam commaculant. Secundus, quòd donis, virtutibusq; eandem animam exornat. Tertius, quòd robur etiam suppeditet, & ut operibus meritorijs insitiat Divinae Majestati imprimis placensibus. Domina nostra gratia plena*

est. Nam quantum ad primum effectum atinet, nullius peccati macula, nec originalis, aut actualis, nec mortalis, aut venialis infecta fuit. Quantum vero ad secundum habuit illa virtutes omnes, donaque Spiritus Sancti in altissimo gradu. Quantum denique ad tertium, exercuit illa opera adeo Deo grata, & meritoria, ut quoad animam, ac corpus digna fuerit omnes choros Angelorum transcendere. Infra vero interrogat discipulus: Quid significat, Dominus tecum? Cui respondet Magister: Hac altera singularis laus est Beata Virginis, qua significatur Dominum nostrum ab initio Conceptionis suae assistendo illi, gubernando illam, instruendo, & defendendo perpetuo cum ea fuisse. Unde natum est, quod numquam peccatum, nec cogitatione, nec verbo, nec opere admisserit. Quare Deus non solum ornavit Sanctissimam Virginem omnibus gratiis, sed etiam cum ea tamquam custos thesauri magni degere voluit. Hucusque in Catechismo Romano. Postquam fuit revisus, & approbatus à Congregatione Reformationis, ut ibidem dicitur: *Ut sublata modorum docendi varietate, faciliusq; instruendi idiotas, & simplices, de rebus Fidei exercitium reddatur, praedictus Clemens VIII. illum approbavit suo decreto, & Bullâ expeditâ die 16. Julij anni 1598. Pontificatus sui anno 7. quae incipit: Pastoralis Romani Pontificis sollicitudo, &c. Ubi inter alia inquit Summus Pontifex: Nos hinc malo occurrere cupientes, novum ejusdem doctrinae Christianae libellum per dilectum filium Robertum Bellarminum Presbyterum Socie-*

tatis JESU, de mandato nostro conscriptum, ac in duas partes divisum à dilectis filiis Reformationibus in Congregatione Reformationis nostrae deputatis, diligenter examinari mandavimus; cumq; libellum hujusmodi jam omnino absolutum, & à praedicta Congregatione comprobatum in lucem edi, & typis tradi mandaverimus, &c. Et infra: Praedictum nova doctrina Christianae libellum, ut praefertur, examinatum, & approbatum auctoritate nostra imprimi facere, &c. Et concludit: Hortamur autem in Domino venerabiles Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & dilectos filios, eorum Vicarios, nec non Abbates, Parochos universos ubique locorum existentes, & alios, ad quos spectat, ut quantum per eos fieri poterit in docendo doctrinam Christianam, in eorum quisque Ecclesijs, Diocesis, & Parochijs respectivè libellum hujusmodi, ut praefertur, approbatum, & jussu nostro editum recipiant, & adhibeant, nec non recipi, & adhiberi curent, & faciant, &c. Nota, quàm strictæ sint clausulae istae pro illa explanatione, seu Catechismo doctrinae Christianae, & in ipso contentis.

Secundum, quod fecit Clemens VIII. pro mysterio Immaculatae Conceptionis, fuit: quod anno primo sui Pontificatus expediverit Bullam pro altari Conceptionis in Ecclesia Sanctorum Antonij, & Jacobi de Sivizzano Lunen. & incipit: *Dignum, &c.* Et alteram pro Monasterio, & Collegio Conceptionis MARTAE Vallis-oletan. *Aequum reputamus.* Et pro altari Conceptionis Beatae Virginis

ginis in Cœmiterio : *Vita ac morum.*
 Et pro Monasterio Conceptionis in
 via de la Stella Florentin. *Supernâ dis-*
positione. Et pro Monasterio Concep-
 tionis de Alenquerque Vlyssipon.
Rationi congruit. Et anno secundo con-
 cessit beneficium Conceptionis in al-
 tari Ecclesiæ Pisan. *Dignum.* Et anno
 tertio, altare Conceptionis in Eccle-
 sia Salvatoris terræ Choris Ostien.
Vita ac morum. Et beneficium Con-
 ceptionis in Ecclesia Sanctæ Mariæ
 Magdalenzæ Cesar-augustan: *Dignum.*
 Et anno quarto, pro Recollectis Pro-
 vinciæ Conceptionis in Gallia : *Decet*
Romanum. Et oratorium Conceptionis
 in Ecclesia, & Confraternitate
 Rosarij, Caven. *De salute gregis.* Et be-
 neficium Conceptionis in Ecclesia
 Beatæ Mariæ Parmen. *Vita ac mo-*
rum. Et pro Monasterio Conceptionis
 Hispalen: *His, quæ pro.* Et pro Pa-
 rochiali Ecclesia Conceptionis in op-
 pido de Orellana la Vieja Placentin.
Vita ac morum. Et anno quinto, pro
 altari Conceptionis in Ecclesia Ty-
 burtina : *Vita ac morum.* Et pro Ca-
 pellania Conceptionis Sancti Chima-
 ci Anconitan. *Dignum.* Et pro benefi-
 cio in Ecclesia Conceptionis loci de
 Paredes Toletan. *Vita ac morum.* Et
 Capellaniam Conceptionis in Eccle-
 sia tituli Domini Mediolanen. *Dig-*
num. Et pro Confraternitate Con-
 ceptionis in loco de Vicciomagio
 Valdegrebe Fesulan. *Gloriosi Principis.*
 Et indulgentiam in die Conceptionis
 pro Ecclesia de Prezza Castren. *Glo-*

riosi Principis. Et aliam indulgentiam
 pro Monasterio Conceptionis Beatæ
 Virginis Mariæ Mexican. *Salvator*
noster : Et pro Monasterio Concep-
 tionis Beatæ Virginis Mariæ Abu-
 len. *Pijs fidelium.* Et pro Monasterio
 Conceptionis Beatæ Mariæ Vir-
 ginis Panormitan. *His, quæ inter.* Et
 anno 6. indulgentiam Conceptionis
 in Ecclesia Sancti Gabrielis Discal-
 ceatorum Pacen. *Ad augendam.* Et pro
 Oratorio Conceptionis in domo San-
 cti Leonardi Castrimaren. *Omnipo-*
tentis, & æterni. Et anno septimo, pro
 Capellania Conceptionis del Castil-
 lo oppidi de Villacarillo Giennen.
Dudum. Et pro Confraternitate Ec-
 clesiæ de Galatone Necitonen. *Omnipo-*
potentis, & æterni. Anno 8. beneficium
 in Parochiali Ecclesia de Monblan
 Tarraconen. *Dignum.* Et pro Mona-
 sterio Sanctæ Annæ Conceptionis
 Mexican. *Ex debito.* Et pro altare Con-
 ceptionis de Mondejar Toletan. *Vita*
ac morum. Et Capellaniam Con-
 ceptionis in Ecclesia Sancti Quirici
 Turcien. *Dignum.* Et beneficium in
 Ecclesia Sancti Jacobi super flumen
 mortuum Forolivien. *Litterarum scien-*
tia. Et pro Monasterio Conceptionis
 Beatæ Virginis Vallis oletan. *Supernâ*
dispositione. Et Confraternitatem Con-
 ceptionis in Conventu Fratrum Mi-
 norum Zelenciæ Tribertin. *Sedis Apo-*
stolicæ : Et anno nono, Capellaniam
 Conceptionis in Ecclesia Sancti Fla-
 viani Aquilan. *Vita ac morum.* Et be-
 neficium in eadem Ecclesia, & inci-